DE OBLIGATIONE RECITANDI OFFICIUM PARUUM B. MARIÆ VIRG.

PRO MONACHIS CAMALDULENSIBUS;

Ac de Precibus Horarijs Religiosorum Laicorum.

RAVENNÆ, MDCLXXI.

Typis Impressorum Cameralium, & Archiepiscopalium. *Superiorum Permissu.*

Reuerendiſſimo Patri, ac Domino

D. PAVLO ANTONIO

ZACCARELLO

Camaldulenſi Abbati meritiſſimo.

PLVRIMVM tibi debeo, Reuerendiſsime Præſul, in doctrinis mihi Magiſtro Optimo. Verum non ego tantùm, ſed & ipſa noſtra debet Congregatio, ad cuius vtilitatem, profectum, decus deſudaſti plurimum, celebri in Claſſenſi Academia publici Lectoris munus, ad tria iam luſtra eximiè peragens; Sacræ Theologiæ arcanorum tertiò explanator; ac inſuper Eccleſiaſtes ad iuſtitiam è ſuggeſtu erudiens multos, in perpetuas propterea æternitates vti ſtella præfulſurus in Cœlo. Nobis, & exteris aquas ſapientiæ ſalutaris effudiſti vberes. Oſtenderunt illi præclara deuoti animi ſigna. Cupio,

 geſtio,

gestio, aliquot & ego non obscura praebere. At quanam? Heu quam imbecillis sum, & tenuis! Exhibeo non quae meritis condigna tuis, sed quae viribus apta meis: obseruantiam plurimam perenne obsequium. Huius in argumentum quia proprijs careo, alienae virtutis profero fructus. Quos carpsi, quos collegi, hos Paternitati Tuae Reuerendissimae offero. Gratos fore non ambigo; etenim ex ingenio Reuerendissimi Antistitis, ac Patris Domini Andreae Vallemanij prodiere felices. Quantum ei debeamus omnes, qui, eo docente, Sacrae Theologiae doctrinam accepimus, siue in primo, siue in secundo, aut tertio Theologico cursu ab eodem tradito, si nobis linguae centum, oraque centum, & ferrea vox, vix indicare possemus. Vota his superaddo mea, quibus tibi optimo optima precor, probitatem, virtutesque tuas veneraturus ego in aeternum.

P. Tuae Reuerendissimae

Humillimus Seruus
D. Petrus Palanzinus Camaldulensis.

ASSER-

ASSERTVM

Beatæ Mariæ Virginis Officium paruum Monachi Camaldulenses quotidie recitare tenentur sub Mortali.

EO alacriùs calamum ſumo, quò in obſequium Deiparę ſacrandum, & altiùs noſtrorum Camaldulenſiū poſterorum inſideat mentibus quotidiana obligatio, hoc ei perſoluendi penſum. Tamquàm certā illām teneo à die emiſſę religioſę Profeſſionis ad hæc vſquè tempora A. 1671. Pro qua Doctrinalia fundamenta iaciam, ſupèr quę fundata conſurget poſita aſſertio, & quidèm adeò meo videri, ſolida; vt quati nullatenùs queant, audeatque nemo, vel manū admouere ad concutere tentandum, ni fortè nimis ſit cerebroſus, aùt contentioſus, aùt tàm obtenebratę mentis, vt nèc meridianis radijs eius diſijciantur tenebrę. Verùm huiuſce generis ingenia, & genia, nec hilum erunt attendenda: Cordati viri ſinent ea ſtrepere. Sit igitur fundamentum.

Duo

Primũ. Duo tantũ ſunt conſcientię vincula [Præceptum] & [Votum] Præceptũ [itidem,& votum] duplex; formale ſcilicèt, ſeù explicitum, virtuale, ſeù Implicitum. Siuè formale ſit, ſiuè virtuale, obligat vtrumque. Qualis, aùt quanta ſit obligatio, ex ipſa dignoſce materia; hæc ſi grauis, grauis & illa; leuis, ſi leuis. Nèc maior, aùt minor in eſſentia obligatio eſt, quià Præceptum ſit explicitũ, aùt Implicitum, ſeù Tacitum: Taciti enim, & expreſſi idem iuris eſt; leg. de quibus ff. de legibus, & leg. cum quod ff. ſi certum petatur. Hinc Profeſſio tacita, & expreſſa eſſentialitèr non differunt; Idemque eſt de voto, & de conſenſu in quolibet contractu. Non nego tamèn dari poſſe differentiã gradualem intèr tàcitum, & expreſſum, vt patet in inuocatione tacita, & in inuocatione expreſſa Dæmonis. Quòd ſi in confeſſione Sacramentali manifeſtandum eſt, àn fuerit expreſſa, àn tacita, id non prouenit, quià ſpecie differant, ſed quià numero: & in confeſſione nõ ſolùm ſpecies, ſed & numerus p. p. aperiri debet: Numericè verò eſſe diſtinctũ, & conſtituere diſtinctum n. peccatũ docent Sanch. l. 2. in Dec. c. 18. n. 24. Suarez. lib. 2. de ſuper c. 10. n.p. Bonac. d. 3. de p. Decal. p. 3. n. 20. C. Pal. p. 3. d. p. p. 3. n. 11. & ſimile quid dicit de blaſphemia d. 2. p. 2. §. 2. n. 6. nempè quòd blaſphe-

mia si processit ex voluntate expressa inhorandi Deum, debet in confessione aperiri, quià licèt tacitum, & expressum idem iuris sint [vt diximus] & ad eamdem speciem pertineant, & in omni blasphemia tacitè imbibatur praua voluntas Deum inhorandi: tamèn si hæc voluntas in ipsa blasphemia imbibita, exprimatur, peccatum est distinctum, saltèm numero ab ipsa blasphemię prolatione, quod certè absquè illa voluntate expressa, poterat vtique esse. At Lessius non tantùm numero, sed etiàm specie vult esse distinctum lib. 2. c. 45. d. 5. n. 33. vbi ait directè volitum, & indirectè volitum esse eiusdem speciei, àt non in omni casu.

Secundũ. Ad hoc vt obligatio recitandi Officiũ sit in aliqua Religione sub mortali, debet necessariò relucere in illa præceptũ vel formale, vel virtuale, ad recitandũ obligans; nequit enìm præsumi peccatũ, vbi nèc explicitum, nèc implicitum præsumitur præceptum. In consuetudine legitima, inducta animo obligandi, relucet virtuale præceptũ; est enim altera lex. Lex scripta, & lex nõ scripta [consuetudo] quamuìs differant à præcepto formali, & expresso, nihil tamèn prohibet, quìn includat virtuale; immò vim precepti habet consuetudo, vt docet Ferd. de C. Palao p. 2. p. p. n. 3. & alij communitèr. Quandò autèm includat, dignosce ex eo, si nimi-

si nimirùm communitèr, & regularitèr viri docti, & probi reputant opus illud sub præcepto obligare. Sicùt enìm id grauis obligationis est argumentum, ità, & præcepti est indicium: Ità Anton. Perez. in Reg. cap. 19. dub. 2. vbi ait Hoc esse vrgentissimum pro tali præcepto, scilicet Implicito, & virtuali, argumentum. Ad obligationem autèm, & quidèm mortalem sufficit præcepti bona, prudens, & cordata fides, vt patet in plurimis. Affirmatio itaquè præcepti infert affirmationē obligationis, & è contrà negatio præcepti infert negationem obligationis: dicitur namquè, sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio negationis. Ne quæsò hìc te opponas, dicens, falsum esse hoc vltimum, quià scilicet potest dari negatio præcepti, & tamèn adhùc esse obligatio, nempè si adsit alterum conscientiæ vinculum, idest votum. Nonne vides, te egredi è semita? persiste in ea, sta in subiecta materia, de ea loquere, & videbis, quàm sit verum, quod dixi. Sumus in materia consuetudinis; de hac discurre, ab hac ne aberres: Valet itaquè vniuersalitèr propositio. Sicut Affirmatio est causa, &c. Si affirmatio sit causa adæquata, secus si inadæquata. Verum quidèm est, quòd affirmatio præcepti non est causa adæquata affirmationis obligationis, ac proindè negatio præcepti non

infert

infert necessariò negationem obligationis; siquidē ex duplici capite oritur obligatio, duo sunt [vt dixi] vincula conscientię, Præceptum, & Votum; Vndè non benè infertur, Est negatio verbi gratia præcepti, ergò est negatio obligationis, cum possit adesse Votum. Tamèn si restrictìm loquamur [vt in præsenti loquimur] de solà scilicèt consuetudine, verissimum est dicere, sicut Affirmatio, &c. ita negatio, &c. Quod est idem ac dicere, si in consuetudine inuoluitur præceptum [virtuale] adest obligatio; si non inuoluitur, non adest obligatio; atque adeò in re nostra benè dicitur, Sicut Affirmatio, &c. Scio poni alterum obligationis argumentum, & consequentèr præcepti impliciti, nempè si transgressores talis operis grauitèr plectuntur, & rephenduntur; Ità inter ceteros doctissimus Episcopus D. Antonius Perez Benedictinę Religionis clarissimum lumen, tùm sapientię, tùm pietatis in suis eruditissimis comment. in Regulam S.P.N. Benedicti.

Tertiū. Constans, & cōmunissima sententia est Theologorū, Canonistarū, & Summistarum, Religiosos Choro addictos, teneri sub mortali recitare quotidiè Officium Diuinum. Sciscitare nunc ab eis, & radicem quere obligationis, vnde nam oriatur: an ex vi naturę: an ex vi iuris positiui: an ex vi

eleemosynarũ: an ex vi Voti, seu Professionis: an ex vi conuentionis cum fundatoribus Monasteriorum: an ex vi consuetudinis: an ex aliquo alio capite. Vna voce respondebunt tibi dicentes, minimè gentium: ex alijs, ex sola, sola consuetudine oritur, ex vi consuetudinis ab omnibus receptę, & à Prælatis ipso vsu legitimè confirmatę.

Adducere possem phalangem Doctorum, deducentium obligationem ex sola dicta consuetudine. Ne onerosus sim mihi, & alijs, dabo tantùm hos paucos, scilicet Nauar. Suarez. Vasq. Regin. Azor. Bonac. Tambur. Castropal. Lessium, Petrũ à S. Ioseph, Anto. Perez. Angelum Manriquez. Probant ipsi singula. Vide apud ipsos.

Quartũ. Apud nos Camaldulenses extat legitima, canonica, immemorabilis consuetudo, & talis, qualis requiritur ad obligandum, quotidiè recitandi Officiũ B. Virginis, inducta animo obligandi, & certè plusquã vno sęculo, agnita cõmunitèr vt grauitèr obligatoria, recensita, asserta, declarata, & non semel inculcata sub mortali; alijsq; pœnis à Præsulibus, & Patribus nostris in nouissimis Constitutionibus, iam à sęculo impressis, & nouitèr reuisis, vt cap. 8. 10. & 18. vbi dicitur. Illud ante nostros oculos ponere statuerunt Patres, nimirùm, eos omnes Professos mortalitèr peccare, qui nõ legitimè

ne impediti Officium tam ipsius Domini, quàm Matris eius, vel in totum, vel in partem scienter omittunt dicere, hoc est enim contra veterem, & laudabilem consuetudinem, tam Eremitarum, quàm Monachorum nostrę Congregationis, qui semper vtrumque Officium persoluere, & deuotè celebrare conati sunt.

Ex quibus verbis [si perpendantur rectè] apparet apertè, Patres non posuisse, sed supposuisse illam obligationem recitandi Officium B. Virginis, deducentes eã ex veteri, canonica, & legitimè pręscripta consuetudine inducta sub mortali: atq; adeò nullatenùs nouum ius condidisse, sed indidisse obligationem antiquam, sicùt sanè circa recitationem Officij Diuini nouam obligationẽ haùd statuerunt: vtramque obligationem supponunt, & inculcant satisfactionem, ponendo illam ante oculos nostros: dicitur enim, Statuerunt Patres ponere ante oculos nostros, peccare mortalitèr omittentes Officij Diuini, & B. Virginis recitationem. Obligatio persoluendi Officium Diuinum sanè independens est à Patribus; ergò sicut intelligi nequit, ipsos in eo cap. 18. imposuisse obligationem de primo, ita nec debet intelligi imposuisse de secundo Officio, quasi neutra obligatio extaret. Fuit itaq; non noui oneris impositio, sed veteris recordatio, & inculcatio.

 Quod

Quod si fortè adhùc perstiteris l. c. impositā fuisse, & præceptam nouā obligationem[quam tamèn saltèm de Officio Diuino asserere non potes] adhuc meam non eneruabis rationem, quam haùd ex formali præcepto, sed ex virtuali, relucente in consuetudine eruere volo. Illud enim negare non poteris, quod scilicèt saltèm ex tali verborum expressione, ex tali forma loquendi indicatur, quo animo, qua intentione inducta fuerit consuetudo ista.

Illud hìc noto: has nouissimas Constitutiones sub Pio V. postquam primò, & secundò castigauere Patres, postremò castigauit ipse, ipse Pontifex, supremam manum imposuit, & tamèn neq; Patres, neque Pontifex, à se inspectas [vt dicitur in Epistola dedicatoria ad ipsum Pontificem] castigauere illas in hoc cap.8. in ea parte, in qua dicitur peccare mortaliter omittentes Officium Marianũ; Sed potius illas etiàm quo ad hanc partẽ approbarunt. Quod manifestè indicat Castigatione nõ indiguisse, sed intactam debuisse relinqui. Certè neque ipsum Pium, neque Patres latebat Constitutio Leonis X. in qua dicitur. Ita tamen vt ad peccatum mortale non obligent. Præfata Constitutio fel. m. Leonis præcessit editionẽ nostrarũ solũ 57. Annis circiter. Ecquis ausit dicere errasse sapientes Patres, errasse Sapientissimum Pontificem, sinendo

exarari obligationem de Officio B. Virginis, si non erat? & non delendo illam, si erat delenda? Quis ausit dicere Patres obsequentissimos Sedi Apostolicę, & Pontifici, in hoc non obtemperasse? absit. Cogitare autem Patres, & Pium [pijssimum] ignorasse, aut non aduertisse ad Constitutionem Leonis fel. me., impium est, temerarium est; Præterquàm quod manus successoris nõ ligantur per Antecessorem, &c. Confirmant Patres intentionem l. c. in fine dicentes, transgressores [scilicet omittentes Officium B. Virginis] grauiùs, & seuerè puniendi sunt.

Denique si non adest dicta obligatio, talis, qualis in præfato cap. asseritur, valdè mirum [veriùs dicã] incredibile valdè esset, tot Patres, tot Annis, in tot comitijs generalibus, in nullo, in nullo aperuisse os suum, nec vnum quidẽ ex illis vel leuiter mussitasse contrà dictam obligationem, vt sustolleretur [si erat] error. Ex altera parte verò superioribus incumbit onus, exonerandi subditorum animas, erroresque tollendi conscientiarum; vt in similibus fecere, & faciunt, quando opus est aliarũ Religionum Superiores, & nominatim sic fecere Cistercienses Præsules non semel, præsertim in illis generalibus Comitijs celeberrimis, Cistertij celebratis Anno 1618. In quibus erant viri doctissimi,

gra-

grauissimi, omnes senes [ait Caram.] omnes docti, Et vnanimi consensu declararunt, consuetudinem recitandi Officium B. Virginis priuatim quotidiè non obligare Cistercienses, quamuis à sex circiter sæculis incæperit, quia scilicèt omnes sensere, dictam consuetudinem inductam nô fuisse animo obligandi conscientias, sed ex mera deuotione. Nolo silere tamen, quod Doctissimus, & Nobilissimus D. Angelus Manriquez Cisterciensium decus diffusè probat ipsos obligatos esse ad quotidianam recitationem dicti Officij, vt videre est apud Caram. in Reg. ex ratione, quam reddidere præfati Præsules, per locum à contrariò ipse deduco nos teneri, quia nostra consuetudo inducta est animo obligandi conscientias, nô verò ex mera deuotione, vt patet apertè ex c. 18. Const. & ex alijs superius allatis.

Placet hic apponere verba Caram. d. 104. à n. 1362. vbi ait, Dubitabant vniuersi, an teneremur ad Officium B. Virginis sub mortali. Nullus opinabatur, quià nullus agebatur ratione, sed mero dubio. Si qua apparebat obligatio, erat ex consuetudine. Petimus qualitèr hæc fuerit introducta; Nô debebat hoc ab exteris, aut à peregrinis peti; aut inquiri, quid enim hi sciant de nostris moribus, præcipuè antiquis? Petendum igitur erat à nostris religiosis, nec à minoribus, sed à maioribus, & seni-

bus.

bus. Prudentèr ergò processit ordo, cùm maiores, & Seniores Antistites consuluit celebrantes Comitia. Consulti Abbates, qualitèr hæc consuetudo esset introducta, Respondent, non obligare sub mortali, hoc est, hanc consuetudinem processisse à mera deuotione. Ita Caram. l. c.

E contra [ipse dico] si nostri Præsules interrogati fuissent in illis tribus Comitijs à 1569. 1570. 1571. qualis esset apud nos Camaldulenses consuetudo quotidianæ recitationis Officij B. Virginis, quid respondissent? vtiquè illud idem, quod scriptis, & typis exararunt, nempe dixissent; animo grauitèr obligandi esse inductam, atque adeò grauitèr obligatoriam esse. Per locum à contrario id sequitur manifestè.

His præiactis fundamentis, fortissimum desumo argumentum à radice obligationis, à consuetudine, & ita discurro. Omnes Religiosi Choro addicti Officium Diuinũ quotidiè recitare tenentur sub peccato mortali ratione consuetudinis legitimè inductę animo obligandi, &c. Sed nos Camaldulenses habemus consuetudinem legitimam, animo obligandi inductam, recitandi quotidiè Officium paruum B. Virginis, ergo, &c. Veritas maioris, & minoris patet ex supra positis. Si ergo istę duę consuetudines non sunt dissimiles, quomodo obligatio

erit

erit dissimilis? Concessa concordantia vtriusque consuetudinis, negari nō potest paritas obligationis. Si negetur, erit negatio omninò arbitraria, cerebrosa, nec responsione digna.

Dices primò. Id opponi ex diametro declarationi S. Congregationis editę A. 1616. declarantis, Monachos Camaldulenses teneri sub mortali ad præfatā recitationē ex Cōstitutionibus suę Regulę.

℞. Si loquamur de his nouissimis Constitutionibus, teneri ex his, non tamquam continentibus præceptum formale, sed virtuale, vt supra. Si verò loquaris de antiquioribus, & in illis contendas contineri præceptum formale, & tale præceptum dari legitimè potuisse, discrepabis non in conclusione, sed in probatione. Siuè ex vno, siuè ex alio capite illam adstruas, parum mea refert: assertum remanet inconcussum.

Dices secundò In Const. Cap. 8. 10. & 18. indicitur pœna omittentibus dictū Officium, ergo ista obligatio est merè pœnalis, non verò stringit conscientiam.

℞. Indicitur pœna etiam omittentibus Officiū Diuinum: quis tamē exinde inferet esse obligationem merè pœnalem, non verò perstringere animam? ℞. Ergo hanc legem non scriptam [consuetudinem] esse moralem simul, & pœnalē, non verò

purè

purè pœnalé: Pœna autem indicitur etiam à lege mixta, non verò à pœnali tantùm. De qua re lege C. Pala. Caram. & alios, &c.

Profectò, si nostra consuetudo non est grauiter obligatoria in conscientia, dic mihi, qualis vnquam erit? Inspice alteram consuetudinem, ex vi cuius dicunt omnes Doctores, Religiosos esse obligatos sub mortali, etiam priuatim recitare Officium Diuinum, & subinde explica mihi capita, & rationes, ex quibus illa sit obligans, non verò hæc, & adducito [si est] discrimen. Si nostra nõ habet vim legis moralis, quænam alia talis erit?

Confirmatur assertũ ex ijs, quę habet Ant.Perez. in d.d. Comment. in cap. 19. dubio 2.conc.4. n.32. Vbi probat in Religione Benedictina omnes Monachos sub mortali teneri ad Officium Diuinum, quia licèt in Regula, neque extra extet præceptũ aliquod expressum, extat tamen implicitum, & virtuale, prout datur intelligi tam ex acerbissimis pœnis, quibus afficerentur transgressores, quàm ex sententia maiorum, à quibus hæc semper audiuimus. Ita ipse.

At nos Camaldulenses Monachi [subdo ego] grauitèr,& seuerè puniri debere omittentes Officium B. Virginis, & à Maioribus nostris semper hanc obligationem audiuimus, legimus exaratam sub

C mortali.

mortali: Ergo, &c. Hæc, & sequens minor patebit ex mox allegandis, &c.

E contra verò [ait idẽ Doctor. l. c.] concluſ. 5. à n. 33. Ad Officium B. Virginis nõ tenentur ſub mortali, quia conſuetudo recitandi dictum Officium ſub mortali reatu, vel etiam ſub præcepto hactenùs ſubintellecta non eſt. Hæc ipſe. Hìc ego, Sed in noſtra Camaldulenſi Congregatione conſuetudo recitandi Officiũ B. Virginis ſub mortali reatu ſub intellecta eſt, declarata eſt, apertiſque verbis ſub mortali inculcata eſt recitatio quotidiana: & quidẽ non ſolum à maioribus noſtris ita intellecta eſt, ſed etiam ab exteris doctiſſimis: Ergò, &c. De exteris minor patet legenti hìc inſertam declarationem Sacrę Congregationis. De noſtris autẽ conſtat legenti c. 8. Conſt. lib. p. & C. 17. lib. 2. car. 294. 295. 296. Completo hoc paruo labore, & ab amanuenſi in his tribus folijs exſcripto, audio ante plures annos; cum non nemo in Monaſtero Claſſis protuliſſet, recitationem Officij B. Virginis non eſſe ſub mortali, eiuſdẽ Cœnobij ſecundò Antiſtes, celebriſque Academię Præfectus, pietate, & doctrina apprimè eximius, conuocatis corã ſe Lectoribus, cæteriſq; eruditis Patribus, plurimoque colloquio inter ſe habito, conuenientibus in vnum, mandauit Moralis Theologię Lectori, in publico

capi-

capitulo plenè rem resolueret, pleneq; declararet. [vti præstitit] præfatam recitationem nobis esse sub mortali ratione consuetudinis. Lætantèr excepi relatum. At sciscitatus, qua ratione probasset, talem consuetudinem esse grauitèr obligatoriam [hìc opus, hìc labor] scire nequiui: Qui rem retulit, non benè se reminisci, subdidit. En ergo magis roborata illa minor, quòd scilicèt à nostris, & quidem pijs, & doctis intellecta est præfata recitatio, & consuetudo sub mortali. Præmissę claræ sunt, & fortes. Cernis ne quò adegerint te? Fortè apprehenderunt te inter angustias, nō prius euasurum, quam illatam concesseris conclusionem.

Hucusquè quamuis vnà mecum sentias, disputandi tamen gratia te opposuisti, ea mente, vt occasionem, & animum mihi dares scribendi, nostrisque posteris exarata monumenta relinqueremus vberiora pro præfata obligatione. Completo igitur hoc paruo labore, nostro resonet ab ore.

Dei, Deiparæque ad honorem omnia.

DECLARATIO
SACRÆ CONGREGATIONIS RITVVM,
De quotidie Recitando Officio Paruo B. Mariç Virginis à Patribus Camaldulensibus.

CVM Monachi Camaldulenses, Breuiarium nouissime emendatum, & approbatum, & omnibus Congregationibus Monachorum, quę militant sub Regula S. Benedicti, concessum à S. D.N. receperint, & acceptauerint; inter eosdem Camaldulenses ortum fuit dubium, an scilicet post huiusmodi Breuiarij receptionẽ, & acceptationem teneantur ipsi Camaldulenses, prout antea tenebantur ex constitutionibus, sub pœna peccati mortalis, quotidie recitare Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, cum ex indulto concesso à S. D. N. Monachis, qui dictum Breuiariũ Benedictinum receperunt & acceptauerunt, aliqui ex dictis Monachis Camaldulensibus putauerunt, à dicta obligatione recitandi quotidie Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, sub pœna peccati mortalis, esse exemptos. Proposito huismodi dubio in Congregatione Sacrorum Rituum, & visis & auditis rationibus hinc inde, pro affirmatiua & negatiua parte allegatis, & audita relatione Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Bellarminij; cui hæc causa commissa fuerat;

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, ex constitutionibus suæ Regulæ, sub pœna peccati mortalis, teneri Monachos Camaldulenses, ad recitandum quotidie Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, etiam post receptionem & acceptationem dicti Breuiarij Benedictini; prout tenebantur, antequam dictum Breuiarium recepissent, & acceptaßent. Et ita censuit & declaraauit. Die 12. Martij 1616.

Franciscus Maria Cardinalis à Monte.

I. P. Mucantius Secretarius Congregationis, &c.

Assertum.

ASSERTVM PRIMVM.

COnuersi non tenentur sub peccato mortali recitare preces vllas loco Horarum.

Doctorum multitudine, & ratione apparet Asserti veritas.

Ita S. Antonin. apud C. Palao l. infrà cit.
Adrian. quod. 6. 8.
Azor. p. p. l. 10. c. 6. q. 1. & 2.
Bonac. d. p. de Hor. Can. q. 2. p. 2.
Corduba. q. 42.
C. Palao. p. 2. t. 7. d. 2. p. p. §, 3. n. 1.
Caram. in Reg. d. 102. a. 1. n. 1341.
Lessius de Iustit. l. 2. c. 37. d. 9. n. 49.
Lairuez. opt. spec. 58. Instr. 5.
Lezana. t. p. sum. c. 12. l. 4.
Nauar. c. 25. n. 96.
Peliz. Manual. t. p. t. 5. c. 8. 5. 2. n. 56. & de Monialibus. c. 6: q. 7. n. 15. & 16.
Peyerin. t. 1. sub q. 1. c. 24. §. 3.
Perez. in Reg. c. 19. d. 1. cor. 2. n. 20.
Syluest. u. Hor. Can. n. 3.
Sot. u. Hor. Can.
Suarez. de Rel. t. 2. l. 4. c. 17. n. 2.
Tancred. t. p. de Rel. c. 3. l. 4. d. 15. n. 2.
Tambur in Dec. l. 2. c. 5. §. 1. n. 6.

Vasquez. de Benef. c. 4. §. 1. d. 11.
Valent. d. 6. q. 2. p. 8.

His addo Capitulum Generale Cistercensium celebratũ an. 1618. Hispaniç, in quo erant omnes docti, plurimi Doctores, omnes maturç ætatis, Laurea insigniti in S. Theolog. Salmanticç, & in alijs Vniuersitatibus celeberrimis, vt asserit Caram. Sapientissimi Patres in eo Generali Capitulo declararunt, Horas Conuersorum non inducere grauem obligationem. Ecçe pro asserto plusqã 100. DD.

Ratio Doctorum est, quia Religiosi Laici, seu Conuersi non sunt Choro mancipati; nec vouerunt Deo aliquam priuatam recitationem; finis enim professionis eorum non est contemplari, aut legere, sed operari, ministrare, & seruire. His verbis Soto; Syluest. Caram. l. c.

Lessius verò l. c. sub his verbis. Conuersos certum est non teneri ad Horarias preces, nec ad alias preces loco Diuini Officij, aut B. Virg. quia Conuersi sunt addicti ad seruitia temporalia. Ita etiam Tho. Tamb. l. c. Sudens sic puto de Conuersis omnium Religionum.

C. Palao sub his. Religiosi Laici, seu Conuersi non tenentur hac obligatione, quia ad munia temporalia sunt destinati. l. c.

Peliz. l. c. de Monial. sub his. Conuersç (idem

est

est de viris.] quamuis teneantur quotidie recitare certas preces in Regula prescriptas, aut inductas ex consuetudine legitima, quas vocant Officium Laicarum; puto tamèn, & mecum senserunt viri docti, à me consulti, huiusmodi obligationē non esse sub p. m. Et ratio est, quia hæc obligatio prouenit ex Regula Religionis quę cōmunitèr quod ad hoc nō obligat ad culpam, sed ad pœnam. Quę ratio confirmari potest ex cōmuni sensu ipsarum monialiū, qui est optimus legum interpres. Ita Peliz. l. c.

Peyrinus l. c. sub his præcisis verbis. Verum est quod dicunt isti Doctores, nempe Soto, Syluester, Ledesma, Suarez. s. non teneri religiosos Laicos sub p.m. ad persoluendum officium sibi præscriptū, sed tantummodò eo vinculo, quo tenentur obseruare alias Constitutiones, & quidē in nostra Religione, in qua statuta ad nullam culpam obligant, per istorum sententias sub nullo peccato ad illud tenerentur. Ita Peyrin.

Vnde si quis Religiosus Monachus auctoritate Superiorum transeat ad Conuersos, eo ipso eximitur ab obligatione recitandi Officium Diuinum, & preces etiam illas, quas vocant Officiū Laicorum. Ita C. Palao, l. c. n. 1. p. 21. & Peliz. l. c.

DIces ergo primò. Conuersi sunt verè Religiosi; ergò tenentur orare plusquam sæculares. ℞. Sunt Religiosi Laici, non ad Chorum, & recitationem precum, sed ad temporalia seruitia deputati; professio .n. illorum mancipat eos ad ministeria, & opera manuum; vndè non tenentur sub mortali orare, plusquã cæteri Christiani. Caram. l. c.

Dices secundò. In Constitutionib' sub Clem. VIII. & Pio V. dicitur, quòd tenentur, quòd debeant recitare. Quid indè? ergò nè eo ipso sub mortali? falsissima illatio. Passìm habentur illa verba apud Doctores, & Statuta, seu Decreta Pontificia, & tamen sic præcisè prolata non significant, non inducunt grauem obligationem sub mortali. Suarez. ipse, Lezana, Filiuc. Rodriq. apud Peliz. de Monialib. l. c. vtuntur illo verbo, & dicunt Conuersos teneri recitare preces aliquas loco Horarum, & tamen subdunt nõ teneri sub m; nec ex iure communi, nec ex consuetudine, sed solùm ex Regula, iuxtà modum, & exigentiam Regulę, quę si non obligat sub culpa, neq; in hoc obligabit. Ita Peliz. l.c.

Dices tertiò. Non teneri sub mortali non est ita clarum, est sub dubio. Quid inde? Ergò ne quia est dubium, obligat sub mortali? Ad ponendam, seu

adstruendam obligationem sub culpa non sufficit Lex dubia, immò nec Lex probabilis, sed opus est, vt sit clara, & valdè clara. Hæc doctrina adeo est clara, adeo euidens, vt nec probabilem exceptionem pati possit. Vt fortius perstringerē, admisi antecedens, nonconcessi; nunc rotundè illud nego. Non nè clarissima est ratio? Clarissimi sunt Doctores in numero, & in nomine? Exarata est ratio, adnotati sunt Doctores.

Dices quartò. Conuersi de Altari viuunt; ergo eidem inseruire debent, si nō recitando Horas can. vt Monachi, saltē recitando suas precesHorarias; & sicut illi ad illas tenentur sub mortali; ita isti ad istas.

℟. Altari seruiunt, qui seruientibus Altari famulantur, & si nihil recitent, vt patet iu Prælatorum famulis, & in Acolythis. Conuersi autèm seruiunt Monachis, qui Choro, Altariq; deseruiunt: & citra illum famulatum ægrè possent Monachi Altari, & Choro præstare seruitium.

Dices quintò. Saltèm ratione consuetudinis tenentur. ℟. Ex deuotione, non ex præcepto grauitèr obligante esse inductam.

Dices sextò. In prima susceptione habitus, & postea in professione à Prælatis iniunguntur illis preces illę Horarię; ergo saltem ratione talis iniunctionis factę ab eorum superioribus tenentur.

℟.

℞. Haud ſub præcepto iniungi, ſeu ſub mortali; ſicut nec ipſę noſtrę Conſtitutiones ſub mortali iniungunt. Quid quid poſteà ſit, an in aliqua particulari Religione ſit aliquod particulare ſtatutum ſub mortali obligans.

Dices ſeptimò. Doctrina [quod ſcilicet non teneantur ſub mortali] non eſt aperienda ipſis Conuerſis, non expedit illos eam docere, fient tepidiores in recitatione illarum precum: ſcientes non eſſe peccatum mortale ommittere, ommittent fortè. Potiùs videntur relinquendi in eorum opinione, fide, & deuotione, ne deſiſtant à recitando, ſed faciant hoc bonum.

℞. Intentionem approbo, improbo effata, vt potè in eorundem perniciem. Non ſunt in tenebris relinquendę errorum [erroneæ conſcientię ſunt ſæpe ſibi ipſis errones valdè noxij] ſed his ſublatis illuminandę ſunt veritate detecta, vt tutò ambulent per eam, & ſaluentur. Expedit ſilere, ne preces ommittant. Ne ammittant animam, expedit loqui. Minùs quippe eſt illas ommittere, valdè autē multum eſt, gratiam ammittere: ammittent certè, ſi cū illa conſcientia peccati mortalis ommittant: Qui facit contrà conſcientiam [S.Tho.] fabricat ad gehennam; ſecus verò qui ſine illo errore. Heu quale diſcrimen inter precum ommiſſionem, & ammiſſio-

nem

nem gratię? Pro hac ſtetimus; loquendo periculũ ſuſtulimus, & beneficium ingens præſtitimus, nimirùm effecimus, ne ſi ommittant, peccatum mortale committant: in ſumma Conuerſos reddidimus impeccabiles in hoc, etiam ſi centies, ſi millies ommittant deliberatè: E contrà verò ni tollatur error conſcientię, illicò peccabunt mortalitèr, etiam ſi ſemel tantum ommittant. Nec ipſis ſolum Conuerſis, ſed etiam Confeſſarijs aliquibus eſt vtilis, & neceſſaria huius veritatis aperitio, ne & ipſi errent, ſi quando audirent aliquem ſe accuſantem de ommiſſione illarum precum.

Qua proptér prudenter ſapientiſſimi illi PP. Ciſtercienſes in Capitulo Generali an. 1618. Hiſpanię celebrato publicè declarauerunt, Conuerſos non teneri ſub mortali recitare dictas preces. Porrò ſi conticuiſſemus, iuſtè potuiſſet Deus aduerſus nos conqueri [ſicut olim per Hieremiã c.2.] & conuerſus ad Conuerſum, condolens ei dicere, Prophetę tui [Præſules tui] viderunt tibi falſa, & erronea, nec aperiebant os ſuum, vt te ad veritatem prouocarent. Sacrificium itaq; labiorum noſtrorũ Domino libauimus, veritatem aperiendo, abigendo errorem, & animarum periculum amouendo. Hanc itaq; obligationem nec Regula, nec Statuta, nec Conſuetudo, nec Doctores, nec Ratio ipſa nouerunt.

Aſſer-

ASSERTVM SECVNDVM.

COnuersi, vt participent de bonis spiritualibus Religionis, necesse non est, vt horarias preces recitent. Huius Asserti veritas clarè apparebit ex doctrina fundamentali, quam præmitto.

Primò. Religio [Congregatio Religiosorum] est vnum Corpus [misticum] membra ipsi particulares Religiosi: quemadmodum Ecclesia [Congregatio Fdelium] vnum Corpus est, membra ipsi Fideles. Vnde Apost: Vnum Corpus multi sumus, singuli autē alter alterius membra in Christo Iesu. Tàm Religiosi Laici, quàm Clerici sunt membra Religionis, Sicut Eccl. membra nō minus sunt Fideles sæculares, & laici, quā Personę Ecclesiasticę.

Secundò. Per professionem Religiosam vniuntur ipsi Religioni, efficiunturq; eius membra, vt & ipsi Religiosi Clerici. Sicut quis per professionē Fidei Cattholicę coaptatur Corpori mistico Ecclesię, eiusq; fit membrum; ita per professionem Religiosam incorporatur Religioni, eiusq; redditur membrum. Ac proinde cum eadem sit professio Clericorum, & Conuersorum, non minùs isti, quā illi membra sunt Religionis, vereq; Religiosi. Peliz. man. t. p. 5. p. n. 41. Suarez, Lessius, Peyrin. vtriq; n. emittunt tria vota substantialia Religionis. Ex

vi itaq; & natura professionis præcisè vniuntur Religioni, fiuntq; partes, membra ipsius, sicut merè, & præcisè ex vi, & natura Catholicæ professionis sunt coaptati fideles, & coniuncti Ecclesiæ, tanquã eius partes, & membra.

Tertiò. Ex vi autem huius coniunctionis, Religiosis, siue Laicis, siue Clericis, quid boni oritur ipsis? Communicatio, Participatio bonorum spiritualium totius Religionis, & quidem præcisè solummodo ex vi præfatæ vnionis, quod est dicere ex natura, & vi præcisè professionis: Sicut .n. per hanc præcisè habetur vnio, ita per eandem præcisè habetur ipsa Communio, seu Participatio. Idem suo modo contingit Fidelibus participantibus in bonis spiritualibus Ecclesiæ. Hæc Doctrina vtique satis clara, & certissima, valde notanda est, quippe quę est cardo nostri Asserti; nec est inuenibile aliud Caput, ex quo oriatur præfata vnio, coaptatio, & communicatio: ex sola igitur professione oritur.

Quartò. De Corpore mistico, misticisq; membris discurrendũ est per analogiã ad Corpus verũ, physicũ, animatũ, eiusq; partes physicas, & animatas vnitas ipsi Corpori. Participant istę de vita, cõmunicant istę de bono vitali, per quid? præcisè ratione coniunctionis; hac sublata nõ amplius viua sunt mẽbra; nõ amplius participant de bono vitali, illico deuiuunt. Vt proportio sit expeditior, & adęquatior,

tior, loquor non de insectis, sed perfectis animantibus, vt est Leo, Homo. Sicut ergo à Corpore v. g. Leonis deriuatur in suas partes influxus boni vitalis, quousq; vnitę sunt Corpori, & quidem ex vi vnionis, seu præcisè quia sunt actualitèr eius membra; Ita similitèr in membra moralia deriuatur à Corpore mistico influxus bonorũ spiritualiũ, quousq; eidem sunt coniuncta; & quidem ratione præcisè coniunctionis, seu professionis. Vera .n. est hæc causalis: Ideò præcisè participant, quia sunt vnita Religioni, vnita, inquàm, per professionem. Præcisè ergo, & solùm ratione professionis communicant in bonis ipsi Religiosi. Nec excogitabile est aliud caput, ex quo oriatur, vel cui tribui possit huiusmodi participatio. Solũ ergo vni, soli, & semper ipsi professioni tribuenda est, atq; adeò erit veluti eius proprietas quarto modo inseparabilis; Sicut .n. in physicis physicè, ita in moralibus moralitèr discurrendum est. Cum autèm Conuersi sint verè Religiosi, ac proindè participantes &c. euidenter sequitur, huiusmodi participationem esse in illis solùm, ac præcisè ex vi, ex natura, & ratione professionis absolutè, simplicitèr, & antecedentèr ad quodcumque aliud. Eo enim ipso quod quis emisit professionẽ, illicò in eodẽ instanti participat: non ergo ratione recitationis precum.

Quintò. Si Natura professionis ea est, vt ex se, ex

ex sua essentia habeat illico adnectere, vnire Religioni professum, & reddere illum eius membrum, & participem bonorum [vti ostensũ est] sequitur, hunc moralem influxum non posse naturalitèr tolli, impediri, suspendi, conditionari, cum sit antecedens ad alia, ex se, absolutè, essentialitèr, & connaturalitèr prodiens à Corpore Religionis in membra, & tanquam proprietas quarto modo respectu omnium Religiosorũ, siue Conuersi, siue Clerici sint: quapropter sicuti participant hi de illo, non ratione Horarum Canonicarum, sic illi non ratione recitationis precum participabunt, sed ratione solius professionis. Hæc Doctrina elucescit, ex analogia ad Animal, eiusq; physicum influxũ ad sua membra, & ex ipsa Communione Fidelium, de qua in Symbolo Apostol. Sanctor. Cõmunionẽ. Deniq; nullũ prius, & absolutè antecedens, & independens derogatur, suspenditur, aut conditionatur per posterius, & sibi omnino extraneũ, & accidentariũ.

Sextò. Sæculares habentes Litteras Fraternitatũ gaudent de bonis spiritualibus Religionis absq; conditione, sed præcisè per hoc, quia adnexi sunt Fraternitati: cur ergò non etiam Conuersi, qui sunt verè Confratres nostri, verè Religiosi, vt nos, participabunt absq; illa conditione recitationis? aliàs domestici nostri essent inferioris conditionis, quàm extranei. Ex hoc obitèr confirmatur Doctrina ter-

 tiò

tiò loco præmissa. Sæculares ratione quasi fraternitatis sunt participes, ergo à fortiori, qui sunt verè Cōfratres,&cōiuncti p professionē,vt sunt Cōuersi.

Septimò. Adducitur Doctrina Suárez. to. 4. in 3. p. d. 55. §. 5. n. 2. & n. 12. Loquens de Prælatis dantibus præfatas Litteras ait. Participes efficiunt ad quandam specialem vnionem, eos admittendo: n. 2. omnibus cum tali Religione specialiter coniunctis specialia beneficia confert De⁹ propter eadē opera Religionis: n. 6. Merita iustorum per se, & absq; alia intentione valent de congruo personis ipsis cōiunctis; non vero extraneis: n. 12. Eadē tamen merita adiuncta speciali intentione, & oratione maiorem efficaciam habent respectu personę coniunctę, quàm extraneę. Oratio ipsa [ceteris paribus] efficacior est ad impetrandum pro persona coniuncta, quā pro extranea: ad hunc ergo effectum confert illa vnio, specialiter prodest, vt personę sic coniunctę participes fiant Orationū, quę genera liter fieri solent pro ipsa Religione, & membris eius, quia hæc applicatio sæpè fit generaliter pro fratribus, & socijs Religionis; ideo ad habendam partem in huiusmodi applicationibus confert etiam illa coniunctio. Hæc vnio etiam confert interdū ad lucrandas Indulgentias concessas Religiosis &c. n. 12. Ita Suar. l. c. Legi etiam potest de hac re C. Palao. p. 4. tr. 15. d. 1. p. p. & Peliz. man. t. 1. tr. p. c. 4. 2. p. n. 16. vbi

ait

ait, ex communione bonorũ ſpiritualium, exiſtente in Religione plurima, & maxima bona proueniunt Religioſo. Præcipuũ eſt illud, vt Religioſus etiam ſedens in proprio cubiculo particeps fiat omnium laborũ, quos tota Religio per tot Vrbes, & Prouincias diffuſa in Dei obſequio perfert, meditando, iuuando animabus, multis piè ſufferentibus, & alia bona facientibus &c.

Octauò. Participatio, quam habent Conerſi, nõ datur à Prælatis, vel à Generali, & Viſitatoribus, nec à Capitulo Generali, ſed eſt omnino independens ab illis; cum, vt aſſertũ eſt, præciſè proueniat, ex vi coniunctionis cũ Religione per profeſſionẽ; qua poſita connaturaliter ſequitur illa cõmunicatio in profitentibus. Si autem à ſuperioribus nõ dependet, conſequenter non poteſt ab illis ſuſpendi, tolli, coarctari, aut conditionari. Hæc abſoluta independentia eſt potiſſima, & radicalis ratio, cur nequeat ab illis apponi conditio ſine qua nõ participent Cõuerſi. Quemadmodũ ſi Papa cõcedat Indulgentiã, & ipſi adimpleant omnia iuxta cõceſſionẽ, poteſt ne ſuperior Religionis conditionare illã? non certè. cur? quia eſt penitùs independens à ſuperiore Regulari.

Dices. Camaldulenſes Conſtitutiones c. 58. habent, quod noſtri Conuerſi ſint particepes omnium bonorum ſpiritualium, quę fiunt in Congregatione,

dum-

dũmodò & ipsi loco Diuini Offitij persoluãt sua Pater,& Aue;ergo si nõ persoluant nõ sunt participes.

Respondeo: particula illa [dũmodò] habere hìc non potest rationem conditionis; cum supra clarissimè demonstratum sit, Conuersos independenter à Prælatis esse participes ; ac proindè participationẽ non potuisse ab illis conditionari , vt pote ab eisdẽ omninò independentem . Quę doctrina generalis est , & vniuersalitèr locum habet respectu quorumcumq; Conuersorum , qui emiserunt tria Vota substantialia Religionis &c. Quid ergo dicemus ? Errasse Patres ? absit. Veneror illos , & scita illorum, Sapientissimos illos colo, ideoq; dixi, & iterùm dico, eos apposuisse dictionem [dũmodò] nõ tanqàm conditionem; non .n. sempèr significat conditionẽ, sed aliquandò resonat modum; sicut etiã hæc dictio [Tanquam]Quasi] non semper idem significat,sed aliquando significat similitudinẽ , & est nota diminuens ; aliquando vero non est nota diminuens,sed est nota veritatem explicans . Sic notarunt S. S. Augustinus, Ambrosius, Chrisostomus, Gregorius, Theophilactus , Euthimius , in Euang. S.Io. Gloriã quasi vnigeniti à Patre. Verè est vnigenitus à Patre Ly [Quasi] non est nota diminuens , nec importat impproprietatẽ,sed potiùs rigorem sermonis. Quandò .n. particula [Tanquàm] Quasi] reddit causam alicuius veritatis, tunc rigorem sermonis importat,

nõ vero improprietatẽ. Ita apud Theolog.& nominatìm apud Amicũ t. 1. diſ. 18. ſec.7. n. 100. Sicut etiam hæc particula [aut] vt plurimũ, & ordinariè eſt diſiunctiua,& tamẽ aliquando diſiunctiua nõ eſt, ſed copulatiua. Ita cap. 1. de Poſtulat. Prælat. vbi dicitur: Lex obligat, ſi ſolemnitèr editur,aut publicè promulgatur : ly [aut] in re non eſt diſiunctiua, ſed copulatiua particula,faciens hunc ſenſum: Lex obligat, ſi ſolemnitèr edatur, & publicè promulgetur. Ita Salas. d. 12. ſ. 1. n. 6. Nauar. cap. 23.n.40. Bonac. d. p. q. 1. p. 4.n. 6. Ferd. de C. Palao. tr. 3. d. p. p. 10. n. p. pag. mihi 122.

Similitèr particula [Dũmodò] aliquando eſt veluti conditio [ſi]; aliquando verò non, ſed modũ ſignificat. Ita Tamb. opuſc.3.l. 3. c. 1.§. 7.n. 10.vbi ait. Forma expreſſa in mandato quando non pertinet ad eſſentiam actus, non habet rationem conditionis, ſed modi. Clarius idem Tamb.l. 1.c. 4.§. 4. n. 40. vbi ait In Bulla Cruciatę ponitur particula [Dummodò] à Pontifice concedente plures gratias [dũmodò tamẽ orent] ommiſſio Orationis ait Tãb. non inualidat actũ, ſeu conceſsionẽ, quia illa particula notat modum, non conditionẽ. Ita Barboſ. dict. 80. in Edit. Roman. Bard. in expoſitio. Bullę Cruciatę p. 2. l. 2.c. 3.p.5.§. 1.& 2.Ferd. de C.Palao. t. 25. d. 1. p. 6.n. 17. Oratio, ait, non exigitur ſub forma conditionis. Ita etiã Sanch. de matr. l. 3.

d. 33.

d. 33. a. n. 1. §. tandem. Matrimoniũ non fuisse irritum, eo quod sponsi cõsumauerint ante benedictionem, quamuis licentia contrahendi fuisset data sub his verbis, Dũmodo moneat Parochus, vt benedictionem accipiant Sponsi ante consumationẽ, quia illa particula nõ facit conditionẽ, sed modũ. l. quoniã § *de rerũ permutatione*, & quia eundẽ sensũ facit, ac verbũ hoc [Dũmodo] quod nõ facit conditionẽ, sed modũ, regulariter loquendo; vt docet Rebu. de verb. signif. l. 158. verb. Dũmodo. Et hoc tunc contingit quãdò ly [Dũmodo] adijcitur actui perfecto; vt do tibi hoc, dũmodo hoc facias. Sic docet alios referens Tiraquel. de retr. lin. §. 8. tot. glos. 8. mol. &c.

Redigo in pauca præmissas doctrinas sic.

Conuersi sunt verè Religiosi, per professionẽ coniuncti Religioni. Ratione huius coniunctionis Religiosi sunt participes &c.

Coniunctio est absoluta, vt naturalis, & independens à Capitulo Generali &c. Atq; adeo, & ipsa participatio est indppendens, & tanquam passio quarto modo.

Ex quibus omnibus Argumentum formo sic.

Participatio absoluta, & independens à Capitulo etiam Generali non potest ab eodem tolli, suspendi, conditionari &c.

Sed participatio bonorum spiritualiũ respectu verè Religiosorum est absoluta, & independens à Capitulo etiam Generali.

Ergo non potest ab eodem tolli, suspendi, conditionari &c. Ergo illa particula (Dummodo) non fuit ab ipso apposita, vt conditio, sed in alio sensu, vel supra dictum est.

FINIS.